DE APOSTOLICA
S. PETRI CATHEDRA
ORATIO
Habita in Vaticana Basilica

AD

CLEMENTEM XII.



PONT. OPT. MAX.

A JOANNE D'ANDREA

NOBILI ULYSSIPONENSI.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

M. DCC. XXX. V.

Superiorum Facultate.

CLEMENTI XII.
PONT. MAX.

JOANNES D'ANDREA
P. F.



*Rationem hanc meam refugiebam magno nomini tuo dicare, B*EATISSIME *P*ATER, *cum*


tenuitatem operis, ingeniique mei imbecillitatem intuerer: cum vero in ea de D. Petri Cathedra sermo sit, nulli potiori jure convenire, quam Romano Pontifici judicavi. Cum enim prope infinita sint Sedis Apostolicæ ornamenta, tum illud certe maxime effulget, cum habet Pontificem Tui simillimum, qui & res omnes Religionis sanctissime administret, & humana negocia prudenter suscipiat, obeat solicite, constanter perficiat. Non est hujus loci, neque temporis immortales laudes tuas persequi, CLEMENS PONTIFEX MAXIME, *quarum plena est urbs Roma, plena Italia, plenus or-*

bis

bis universus. Percrebuit enim ubique gentium, quam sapiens sis in cogitando, quam acutus in providendo, quam justus in judicando, quam in agendo constans, in ædificando magnificus, in opitulando liberalis, in alloquendo humanus; quam denique opportune a Deo nobis datus sis, his præsertim calamitosis temporibus, quæ sicut in Te uno Principe optimo, & Parente beneficentissimo habent, unde plurimum releventur, & convalescant, ita Te diutissime sospitem, salvumque volunt, & desiderant. Superest unum, Beatissime Pater, ut quo vultu, & animo omnes excipis,

quoque potissimum fratrem meum ad Te pari cum munusculo accedentem, cum verba faceret de Ascensione Christi Domini, excepisti, me quoque cum hac Oratione tenui quidem, atque inconcinna, sed plena certe obsequio, omnique erga Te, Sedemque Apostolicam veneratione digneris excipere, atque tueri.

ORA-



ORATIO.



Egnum eſt Chriſti Domini Romana Eccleſia, BEATISSIME PATER, Regni autem hujus Solium, & Thronus Cathedra eſt Divi Petri, quam hodierna die feſtiva commemoratione celebramus. Quoniam vero ad Romanam Fidem perfidia non habet acceſſum, Eterodoxi, qui ſe partem eſſe hujus Regni falſo credunt, inficiantur Cathedræ auctoritatem, noſque fidem illi plene adhibentes inſectantur, & repræhendunt, perinde acſi honorem, & reverentiam, quæ uni Deo, ac Domino debita eſt, homini, qui in Petri Cathedra ſedet, tribueremus. At quemadmodum Jannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veri-

Cyp. lib. 3 ep. 3.

2. Tim. 3.

tati; ſed non ultra proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Nam cum Romanum Pontificem colimus, eique divina imperanti paremus, non quaſi unum de Principibus, aut Regibus terræ ſuſpicimus,
L. 2. c. 8. ſed eum cum D. Bernardo poteſtate Petrum, unctione vero Chriſtum eſſe credi-
Aug: l. 16. con. Fauſ. mus, palamque confitemur. Neque enim ſua ſunt, quæ dicit, ſed Dei, qui in Cathedra unitatis doctrinam poſuit veritatis.

Sic natura inſtitutum eſt, ut unius corporis unum ſit caput, & quod varium eſt, & multiceps, ad monſtrorum genus referatur. Deus autem, cujus perfecta ſunt opera, cum Eccleſiam conſtituit, quæ Sponſa ſua eſſet ſine ruga, & ſine macula, ita eam exornavit, & perfecit, ut cum illam inde aſpiceret, maxime dotes ejus omnes adamaret, unitatem vero tanquam pulcherrimi operis pretium com-
Can. 8. mendaret: una eſt Columba mea, perfecta mea: Hinc factum eſt, ut quicumque illam divideret, reus illico Divinæ Ma-
Opt. Mil ad Par. l. 11. jeſtatis conſtitueretur, & Schiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra Petri Cathedram alteram collocaret. Quare enim Deus unam conſtituit, niſi ut unitas ab omnibus ſervaretur, & ne Apoſtoli ſingu-

gu-

gulas sibi defenderent? Fundavit Joannes Ecclesiam in Oriente, fundavit in Occidente Jacobus, fundaverunt in aliis orbis partibus cæteri Apostoli; sed eorum exordium ab hac unitate profectum est, & Primatus Petro datus, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstraretur. Quam igitur inconsulte discesserunt multi ab auctoritate illius Cathedræ, a qua instructi, quamque sequuti in omnibus Apostoli orbem terrarum Fidei lumine illustrarunt! quam infeliciter privati homines deseruerunt Thronum Religionis, cui non coronas solum, & imperia, sed & internos sensus, animumque non subjicere Reges, atque Imperatores nefas esse putaverunt! quam injuriose contempserunt eam Sedem, cui se gentiles Philosophi, cui se nationes barbaræ, se denique gentes extremæ subdiderunt! At faxit tandem aliquando Deus, ut resipiscant, & convertantur: nam extra hanc Ecclesiam nec Christianum nomen aliquem juvat, nec Baptismus salvat, nec peccatorum remissio accipitur, nec vitæ æternæ felicitas invenitur. Est procul dubio ei, qui in Arca Noe non est, communi naufragio pereundum.

Cyp. libr. de unit. Eccl.

Fulg. lib. 1. c. 22.

Sed nulla esset securitas unitatis, nisi ex promissis Dei esset quoque Cathedra Pe-

Aug. lib. 3. con. Parm.

1.Tim.3. Petri columna, & firmamentum veritatis. Unam eſſe contendunt Eccleſiam ſuam novatores, ſed cum non ſita ſit ſupra firmam petram, prævalent adverſus eam portæ inferi, a quibus concuſſam, ac labantem nituntur novis ſemper confeſſionibus fidei, veluti ſuſtentaculis confirmare. Sed tam variæ, multipliceſque confeſſiones ſeſe mutuo deſtruant, neceſſe eſt, cum una fides ſit, ſimplexque veritas, quæ una Catholicorum confeſſione tota complexa eſt, ſemperque compræhenſa. Quid enim per octodecim fere ſæcula non dicam in veritate Catholica, ſed ne in verbis quidem, quibus eam profitemur, immutatum eſt? quid unquam in rebus Fidei auſum, & tentatum; quid in doctrina morum ſolutum, quid vel in uno legis apice innovatum, vel relaxatum? Dicere ſane poſſumus, & alta voce ad hanc uſque diem prædicare, quod tam multis ab hinc annis affirmans gloriabatur Irenæus: quæ eſt ab Apoſto-
Lib.3.c.3. lis traditio, & annunciata hominibus fides, pervenit uſque ad nos. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam. Conveniant ergo Eterodoxi,

& qui